HIERONYMUS MARKOWSKI

DE CAESARIS GRAECO TITULO PALAESTINO

Seorsum impressum e libro, q. i.: „Munera Philologica Ludovico Ćwikliński bis sena lustra professoria claudenti ab amicis collegis discipulis oblata, Posnaniae 1936" — pagg. 128—137.

19 POSNANIAE 36

DRUKARNIA UNIWERSYTETU POZNAŃSKIEGO
POD ZARZĄDEM JÓZEFA WINIEWICZA

DE CAESARIS GRAECO TITULO PALAESTINO

Scripsit

Hieronymus Markowski.

Ex variis quaestionibus ad Graecum illum titulum, a Christiano Friederico Ludovico Guilelmo Froehner ex Nazareth a. 1878 acquisitum, primum a Francisco Cumont[1] publici iuris factum pertinentibus nondum solutis ad documentum illud singulare recte intellegendum cum aliae tum eae plurimum valent, quibus de tempore, auctore, structura, consilio eius agitur.

I.

Ac primum quidem commoditatis lectorum gratia contextus tituli proprietatibus scribendi conservatis hic reddatur:

Διάταγμα Καίσαρος[2]
'Αρέσκει μοι τάφους τύνβους
τε, οἵτινες εἰς θρησκείαν προγόνων
ἐποίησαν ἢ τέκνων ἢ οἰκείων,
τούτους[3] μένειν ἀμετακεινήτους
τὸν αἰῶνα. 'Εὰν δέ τις ἐπιδίξῃ τι-
νὰ ἢ καταλελυκότα ἢ ἄλλῳ τινὶ

---

[1] Franz Cumont, *Un rescrit impérial sur la violation de sépulture.* Revue historique. 55-e année, t. CLXIII 2, janvier-avril 1930 p. 241—266 (= C.).

[2] In praescriptione, in vv. 2 et 10 litterae et intervalla latiora sunt quam in ceteris versibus. Inaequales latitudines litterarum interstitiorumque neglegentiae fabri immerito tribuit Raphaël Tonneau, *L'inscription de Nazareth sur la violation des sépultures.* Revue biblique XL 4, octobre 1931 p. 544—564 (= Tonneau) p. 552.

[3] τούτοις pro τούτους legendum esse auctore H. L. Henderson arbitratur F. de Zulueta, *Violation of sepulture in Palestine at the beginning of the Christian era.* The Journal of Roman Studies XXII 1932 p. 184—197 p. 185. 189.

τρόπω τοὺς κεκηδευμένους ἐξερριφφότα ἢ εἰς ἑτέρους τόπους δώλω πονηρῶ μετατεθεικότα ἐπ' ἀδικία τῇ τῶν κεκηδευμένων ἢ κατόχους ἢ[4] λίθους μετατεθεικότα, κατὰ τοῦ τοιούτου κριτήριον ἐγὼ κελεύω γενέσθαι[5], καθάπερ περὶ θεῶν, εἰς τὰς τῶν ἀνθρώπων θρησκ-[6] κείας· πολὺ γὰρ μᾶλλον δεήσει τοὺς κεκηδευμένους τειμᾶν· καθόλου μηδενὶ ἐξέστω μετακεινῆσαι. Εἰ δὲ μή, τοῦτον ἐγὼ κεφαλῆς κατακριτὸν[7] ὀνόματι τυμβωρυχίας θέλω γενέσθαι.

Cum dubium esse nequeat, quin Graecus contextus ex Latino exemplari translatus sit, ad notiones iuridiciales singulasque res, quas Caesar in animo habuerit atque exprimere voluerit, recte percipiendas illum primarium contextum

---

[4] ἢ coniunctione neglecta κατόχους λίθους, locutione composita, columnam sepulcralem, lingua Semitarum *néphesh* vocabulo significari solitam, denotari censet René Dussaud, *Un rescrit impérial sur la violation de sépulture provenant de Nazareth.* Syria. Revue de l'art orientale et d'archéologie XI 1930 p. 306—307 p. 307. Similiter ἢ fortasse per errorem scribae vel lapicidae additum, ideo delendum atque κατόχους λίθους restituendum esse auctore Hugh Last opinatur Zulueta l. l. p. 192.

[5] Inter γενέσθαι et καθάπερ punctum ponendum esse putat Édouard Cuq, *Le rescrit d'Auguste sur les violations de sépultures.* Revue historique de droit français et étranger. 4-e série, t. XI 1, janvier-mars 1932 p. 109—126 (= Cuq 1932) p. 110.

[6] κ litteram, in fine v. 16 in imagine tabulae ope lucis solis confecta apud C. conspicuam, omnes fere tituli commentatores neglegunt praeter Frank E. Brown, *Violation of sepulture in Palestine.* American journal of philology. LII 1, january, february, march 1931 p. 1—29.

[7] Cum enuntiato extremo, vv. 20—22, facultatem futuram, non rem perfectam significari manifestum sit, oxytonon scribendum esse apparet: K. W. Krüger, *Griechische Sprachlehre für Schulen*[5]. Leipzig 1875 p. 64. Kühner-Blass, *Ausführliche Grammatik der griechischen Sprache*[3]. I 2. Hannover 1892 p. 288. I 1 p. 538—539. Omnes commentatores κατάκριτον exhibent.

Latinum restituere temptare haud inutile erit. Cui contextui Latino hanc fere formam fuisse probabilissimum videtur:

Edictum[8] Caesaris[9]

Placet mihi sepulcra bustaque[10], quicumque[11] in[12] religionem maiorum fecerunt vel liberorum[13] vel domesticorum[14], haec[15] manere immutabilia aevum[16]. — Si autem quis[17] demonstraverit[18] aliquem aut[19] delevisse[20] aut[19] alio aliquo[21] modo funeratos[22] eiecisse[23] aut[19] in altera loca[24] dolo malo

---

[8] *Edictum* hoc loco voluntatem promulgatam, non rationem voluntatis exprimendae aut certum genus constitutionum principum aetate posteriore distinctarum significare vel ex insolita forma praescriptionis apparet. Latina *edicti* vox Graeco διάταγμα vocabulo respondet etiam e. gr. his locis: Paul. *ad Hebr.* 11, 23 τὸ διάταγμα (cod. Angelic. Rom. s. IX δόγμα) τοῦ βασιλέως = Vulg. *regis edictum.* — Modestinus, *Dig.* XXVII 1, 6, 8 ὁ θειότατος πατήρ μου ... διατάγματι ... ἐβεβαίωσεν = *divus pater meus... edicto... confirmavit.* — *Basilicorum libri* LX..., ed... Carolus Guilielmus Ernestus Heimbach. Lipsiae 1833—1870: XLIV 29, 2 τὸ διάταγμα τοῦ πραίτωρος = *Cod. Iust.* VI 2, 1 *perpetui edicti.*

[9] C. in sua tituli versione Latina p. 243 proposita praescriptionem omittit, eam p. 244. 265 ab interprete vel a magistratu, qui contextum Graecum conficiendum curaverit, adiectam esse ratus.

[10] Cic. *De leg. II* 26, 64 *bustum-nam id puto appellari* τύμβον. — C.: *tumulosque.*

[11] C.: *quae.*

[12] C.: *ad.*

[13] C.: *filiorum.*

[14] C.: *propinquorum.*

[15] C.: *haec* omittit.

[16] C.: *in perpetuum.*

[17] C.: *quis autem.*

[18] C.: *probaverit.* — Quam partem actionis edendae ἐπιδεικνύναι verbum in v. 5 significet, quam igitur vocem Latinam reddat, ostendit collatis *Dig.* II 13, 1, 1 cum *Basil.* VII 18, 1 Cuq 1932 p. 119.

[19] C.: *sive.*

[20] Cic. *De leg.* II 26, 64 *De sepulchris autem nihil est apud Solonem amplius quam «ne quis ea deleat».* — C.: *destruxisse.*

[21] C.: *quocumque.*

[22] C.: *sepultos.*

[23] Labeo apud Ulpianum, *Dig.* XI 7, 8 pr. *alioquin iniuriarum fore actionem adversus eum, qui eiecit.* — C.: *eruisse.*

[24] C.: *in alium locum.*

transtulisse in[25] iniuriam funeratorum[26] aut[19] cippos[27] aut[28] lapides transtulisse[29], in[30] talem[31] iudicium ego[32] iubeo fieri, quemadmodum[33] de diis[34], in hominum religiones[35]; multo enim magis oportebit[36] funeratos[22] honorare[37]; omnino nemini[38] liceto[39] immutare[40]. — Alioquin[41] hunc[42] ego capitis iudicio obnoxium[43] nomine sepulcri revulsi[44] volo fieri[45].

---

[25] Paul. *Sent.* V 4, 3 *in iniuriam nostram,* ib. 15 *in iniuriam alicuius.* — C.: *per iniuriam,* item: Leopold Wenger, *Eine Inschrift aus Nazareth.* Zeitschrift der Savigny-Stiftung für Rechtsgeschichte. Rom. Abt. LI 1931 p. 369—397 p. 373. Zulueta l. l. p. 188 *ad iniuriam.*

[26] C.: *sepultorum.*

[27] C.: *titulos.*

[28] C.: *vel.*

[29] C.: *amovisse.*

[30] C.: *contra.*

[31] C.: *illum.*

[32] C.: *ego* omittit.

[33] C.: *sicut.* — Édouard Cuq, *Un rescrit d'Auguste sur la protection des «res religiosae» dans les provinces.* Revue historique de droit français et étranger. 4-e série, t. IX 3, juillet-septembre 1930 p. 383—410 (= Cuq 1930) p. 400: *quasi de diis.*

[34] C.: *(ita)* inserit.

[35] C.: *religionibus (Manium sacris?).*

[36] C.: *decebit.* — Cuq 1930 p. 395: *oportebit.*

[37] Cic. *Phil.* IX 3, 5 *mortem... esse honorandam.* — C.: *colere.*

[38] C.: *ne cuiquam.*

[39] De imperativo aut coniunctivo in legibus usurpato agit E. Weiss s. v. *Lex,* R E XII 2, 1925 p. 2316, de imperativo futuri etiam in enuntiatis prohibitivis in legibus adhiberi solito Joh. Bapt. Hofmann in Stolz-Schmalz, *Lateinische Grammatik*[5]. München 1928 p. 575—576. — C.: *liceat.*

[40] CIL VI 3, 20989 = Carolus Georgius Bruns — Otto Gradenwitz, *Fontes iuris Romani antiqui*[7]. Tubingae 1909 n. 172, 18 p. 380 *quisq(uis) [h]unc mun(imentum) — immutare... voluerit;* — XIV 1872 = Bruns-Gradenwitz n. 172, 40 p. 383 *Quicumque violaverit sive inmutaverit...* — C.: *movere.*

[41] C.: *Sin autem.*

[42] C.: *illum.*

[43] C.: *capitis damnatum.*

[44] Auctor ad Her. IV 8, 12 *revulsis maiorum sepulcris.* — Verg. *Aen.* IV 427 *cinerem manesve revelli.* — C.: *violati.*

[45] C.: *fieri* omittit.

II.

Ex formis singularum litterarum tituli Caesaris cum duobus aliis Graecis titulis Palaestinis comparati, cum titulo regis Herodis alienigenas in interiores partes templi Hierosolymitani intrare vetante, probabilissime inter annos fere 739/15 et 744/10 confecto [46], et cum titulo Theodoti archisynagogi, inter annos post Chr. 20 et 25 exarato [47], titulum Caesaris hoc atque etiam titulo Herodis priorem esse enucleari licet [48].

Ex ea re, quod in titulo Caesaris ulla vestigia, quae argumentum inscriptionis ad aliquam quaestionem ab aliquo magistratu Caesari decernendam missam ab hoc rescriptum esse indicent, haud reperiuntur [49], Caesarem ad tenorem documenti concipiendum rebus ipsis a se ipso visis vel auditis vel observatis, non ullis epistulis ad se datis commotum esse colligendum est.

Caesarem autem in praescriptione tituli Nazarei laudatum, cum de C. Iulio Caesare dictatore cogitari non possit [50], neminem alium esse nisi filium eius adoptatum, a. d. XVII Kal. Febr. a. 727/27 Augustum appellatum [51], necesse est. Quibus de causis illud exemplar Latinum edicti ab hoc Caesare tum, cum victoria Actiaca parta rerum omnium potitus in Oriente versaretur, probabilissime tum, cum Ae-

---

[46] Emil Schürer, *Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter Jesu Christi.* 3. u. 4. Aufl. Leipzig I 1901 p. 369 [12]. Walter Otto s. v. *Herodes*, R E Suppl. 2, 1913 *„Zeittafel für Herodes I"*. — Anno p. Chr. 6 titulum Herodis tribuit Dittenberger O G I S n. 598 p. 295.

[47] L. H. Vincent, O. P., *Découverte de la «Synagogue des Affranchis» à Jérusalem.* Revue biblique XXX 1921 p. 247—277 p. 276. Litterae tituli Herodis cum litteris tituli Theodoti ab eodem l. l. p. 266—267 comparantur. Litteras tituli Caesaris cum litteris tituli Theodoti confert Tonneau l. l. p. 551—563.

[48] De his planius in peculiari disputatione a Posnaniensi Societate Amicorum Litterarum emittenda agetur.

[49] A[rthur] S[tapylton] Barnes, M. A., *An Historic Stone from Nazareth?* Discovery. A monthly popular journal of knowledge. XII 144, December 1931 p. 395—398 p. 396.

[50] C. p. 247. Barnes l. l. p. 397.

[51] C I L I^2 1, 1893 p. 307—308.

gypto pacata auctumno a. 724/30 per Palaestinam, consuetudine ac familiaritate regis Herodis usus, in Syriam proficisceretur [52], scriptum neque ita multo post etiam servatum exemplar Graecum edicti ortum ac publice propositum esse concludendum est.

III.

Ad sententias Caesaris recte cognoscendas partes enuntiatorum brevitatis gratia non expressae cogitando apte supplendae summi sunt momenti.

In v. 15 καθάπερ περὶ θεῶν locutioni (ἠσεβημένων) forma vel similis addenda est, Latine: *quemadmodum de diis* (sc. *impietate offensis*). Caesar mortuos cum diis plane aequiperans opiniones illas, quibus antiqui sibi hominem defunctum deum fieri persuadebant, sequitur [53]. Locutione illa brevissima Caesar in unum quodque ex quinque maleficiis in sepulcra sepultosve commissis antea enumeratis idem iudicium, quod in scelus adversus deos perpetratum sive in crimen impietatis constitui soleat, fieri iubet.

Post locutionem vv. 16—17 εἰς τὰς τῶν ἀνθρώπων θρησκ|κείας cogitando adiciendum est (ὑβρισμένας) participium vel similem

[52] Victor Gardthausen, *Augustus und seine Zeit*. Leipzig I 1, 1891 p. 460—461, II 1 p. 249, 273. — Thomas Rice Holmes, *The architect of the Roman Empire* (44—27 B. C.). Oxford 1928 p. 171.

[53] Testimoniis opiniones illas illustrantibus, quae allegant: Fustel de Coulanges, *La cité antique* [28]. Paris 1924 p. 16—20, Albrecht Dieterich, *Nekyia. Beiträge zur Erklärung der neuentdeckten Petrusapokalypse.* Leipzig 1893 p. 89, Cuq, 1930 p. 399, addi possunt alia, e. gr. *Pap. Flind. Petr.* II 13, 19 = Stanislaus Witkowski, *Epistulae privatae Graecae* [2] *n. 8,7* καὶ ζῶντός σου καὶ εἰς θεοὺς ἀπελθόντος. — vel ex titulis sepulcralibus: C I L VI 35 887 = Dessau 8168 = Ernestus Diehl, *Altl. Inschr.* 543, 2—3... *ego sum dea, mortua non sum,* — Th. Macridy, *Un hiéron d'Artemis Polo à Thasos.* Jahrbuch des Kaiserl. Deutschen Archäologischen Instituts. XXVII 1912 p. 1—19 p. 10 n. 6 Ἱερεὺς Διὸς Σεβασ|τοῦ Αὖλος Πόπιλλ|ος Θρασέας, τὴν σύν|βιον Ἑρμιόνην Ἀρχε|λάου, πρόμυστιν, θεὰν ἐπιφανῆ. — Gawril I. Kazarow, *Grabstele von Mesembria.* Jahreshefte des Österr. archäolog. Institutes. XXVI 1930 p. 111—114 Ἐνθάδε ἐγὼ κεῖμε Ἑκάτη|θεὸς ὡς ἐσορᾷς· ἤμην τὸ|πάλαι βροτός, νῦν δὲ ἀθάνα|τος καὶ ἀγήρως Ἰουλία Νεικίου|θυγάτηρ μεγαλήτορος ἀνδρός.

notionem significans, Latine: *in hominum religiones* (sc. *contaminatas — contemptas — laesas — violatas).*

In enuntiato vv. 17—18 πολὺ γὰρ — τειμᾶν, exprimente, qua de causa iniuriae mortuis illatae pariter atque offensiones deorum persequendae sint, animo circumstantia comparativa (ἢ τοὺς ζῶντας), Latine: *(quam vivos)*, supplenda est [54].

Structura consiliumque totius tituli recte comprehendenda ex vocabulo in inchoato enuntiato condicionali v. 20 εἰ δὲ μὴ mente addendo pendent. Quae locutio si more omnium tituli commentatorum verbis ex duobus enuntiatis antecedentibus sumptis suppletur: εἰ δὲ μὴ (sc. τειμήσει τις τοὺς κεκηδευμένους καὶ τοὺς τάφους τύνβους τε) vel εἰ δὲ μὴ (sc. πείσεταί τις τούτωι τῶι διατάγματι), atque si in v. 20 τοῦτον pronomine violator sepulcri significari percipitur, ordo progressusque sententiarum edicti turbantur, neque ullo modo apte explicari potest, cur Caesar in vv. 13—17 in reum sepulcri violati vel reliquiarum profanatarum idem iudicium fieri quod in reum impietatis, at in vv. 20—22 illum reum capitis damnari iubeat.

Quae difficultates solvuntur sententiaeque recte procedunt, si in v. 20 verbum ex enuntiato condicionali vv. 6—7 suppletur: εἰ δὲ μὴ (sc. ἐπιδείξει τις), Latine: *sin autem* (sc. *quis minus demonstraverit).* Quo verbo mente adiecto sententiam Caesaris hanc esse perspicuum fit: ei, qui colloquiis vel rumoribus narratis alicui unum ex quinque sceleribus in vv.

---

[54] Huic enuntiato partes cogitando adiungendas proponunt: (ἢ πρότερον), Latine: *(quam antea)* Jérôme Carcopino, *Encore le rescrit impérial sur les violations de sépulture.* Revue historique. 56-e année, t. CLXVI 1, janvier-février 1931 p. 77—92 p. 81; — Tonneau l l. p. 561; — Jacques Zeiller, *L'inscription dite de Nazareth.* Recherches de science religieuse. XXI 5, décembre 1931 p. 570—576 p. 571; — Wenger l. l. p. 392 *Mehr (als bisher)*; — Zulueta l. l p. 189; — William Seston, *Le rescrit d'Auguste dit de Nazareth sur les violations de sépulture.* Revue des études anciennes [Annales de la Faculté des Lettres de Bordeaux et des Universités du Midi. IV-e série, LV année] XXXIV 2. avril-juin 1933 p. 205—212 p. 206; — (ἢ τοὺς τάφους), Latine: *(quam sepulcra)* L[agrange], Revue biblique XXXIX 1930 p. 570—571 et ib. XLI 1932 p. 457[4]; — Cuq 1932 p. 114; — (ἢ τοὺς θεούς), Latine: *(quam deos)* Leandro Zancan, *Sull' iscrizione di Nazareth.* Atti del Reale Istituto Veneto di scienza, lettere ed arti. Anno accademico 1931—32. T. XCI 2 p. 51—64 p. 60.

7—13 distinctis in sepulcra humatosve admissum obiciat, in hunc in suspicionem vocatum rite rationeque legibus praecepta actionem forensem criminis illius clare ac distincte descripti intendendam esse; quod ille ni faciat, homini in suspicionem adducto ius esse a magistratu in adversarium suum nomine sepulcri violati iudicium capitis petere atque istum calumniatorem iudicio capitis subiciendum esse. Quare in v. 20 τοῦτον pronomine calumniatorem denotari apertum fit, qui falsis criminibus de sepulcro violato aut de iniuria mortuo illata sumptis in alium immerito suspicionem moveat eique pericula parare temptet.

Totum igitur edictum ex tribus partibus constat: prima, vv. 2—5, Caesar praesidium legis sepulcris bustisque familiaribus perpetuis in certum temporis spatium, quod aevum vocatur, praebendum affirmat; secunda, vv. 6—20, ei, qui rite ac praescriptis verbis alium propter unum ex quinque facinoribus in sepulcra funeratosve admissum in ius vocet, idem iudicium, quod in crimen impietatis dari soleat, in reum in religiones erga homines debitas violatas fieri iubet; tertia, vv. 20—22, Caesar calumniatorem, qui in aliquem falsum crimen sepulcri violati vel reliquiarum profanatarum protulerit, iudicio capitis subiciendum esse statuit[55].

Caesar in calumniatorem crimine sepulcri violati vel iniuriae sepulto illatae alium falso accusantem iudicium capitis fieri iubens non Romanum morem calumniarum infamia puniendarum[56], sed legem Moysis sequitur, ut calumniator aeque atque is, qui vitae proximi insidias paraverit, plectatur praecipientem: *Lev.* 19, 16 οὐ πορεύσηι δόλωι ἐν τῶι ἔθνει σου, οὐκ ἐπισυστήσηι ἐφ' αἷμα πλησίον σου· ἐγώ εἰμι κύριος ὁ θεὸς ὑμῶν.

---

[55] Aliter discrepantiam inter vv. 13—17 et vv. 20—22 intercedentem explicare studet C. p. 256, aliter Cuq 1930 p. 392. 395—404, aliter argumentorum a Wenger l. l. 380—388 prolatorum ratione habita idem Cuq 1932 p. 114—122.

[56] Ernst Levy, *Von den römischen Anklägervergehen.* Zeitschrift der Savigny-Stiftung für Rechtsgeschichte. Rom. Abt. LIII 1933 p. 151—233 p. 164. 172.

IV.

Cum dubium esse non possit, quin extrema edicti pars contra eiusmodi calumniatorem intenta sit, qui alium sepulcri violati vel iniuriae funerato illatae falso vel temere insimulet, quaestio solvenda est, sintne in aliquem in Palaestina aetate Caesaris crimina profanatorum sepulcrorum ossiumve prolata atque dispersa. Ac re vera scelera talia ipsi regi Herodi obiecta esse bis tradit Flavius Iosephus, *Ant. Iud.* VII 394 et XVI 179—187. Qui altero loco copiose narrat regem pecuniae opumque avidissimum clam noctu cum paucissimis ac fidelissimis familiaribus, ne res in urbe innotesceret, sepulcra regum Davidis et Salomonis aperuisse atque invasisse, nummos quidem, ut Hyrcanus, minime, at magnam copiam ornamentorum aureorum aliarumque rerum pretiosarum invenisse; sed cum in interiores partes sepulcrorum ad ipsa corpora regum progredi temptaret, duos ex satellitibus eius flammis subito obortis necatos esse, tum regem perterritum ex sepulcris opibus ablatis exisse [57].

Quibus criminibus Herodi obiectis etiam Caesarem, cum ab illo magnis beneficiis affectus esset magnaque dona accepisset ac regi pro eius erga se meritis maximas gratias reddidisset [58], attactum offensumque esse atque auctoritatem eius imminui potuisse manifestum est; facile enim Caesar, auxilio atque opibus, amicitia atque familiaritate Herodis usus [59], etiam conscius ac particeps sceleris eius haberi et videri potuit. Qua re etiam Caesaris indignatio et ira et acerba crudelisque ratio dicendi in titulo conspicua explicantur.

Quibus de causis tenorem documenti a Caesare amici ac simul sui ipsius ab illis rumoribus turpibus noxiisque de-

---

[57] Quam narrationem fictam esse censet Otto l. l. p. 97, temporibus antiquis creditam esse ostendunt verba Flav. Ios. *Ant. Iud.* XVI 188.

[58] Gardthausen l. l. I 1 p. 410—411. II p. 222. I 1 p. 460—461. II 1 p. 248—249. — Schürer l. l. I p. 365. 384. — Otto l. l. p. 47—49.

[59] Flav. Ios. *Ant. Iud.* XV 217 Ἡρώδης ... Καίσαρι ... εἰς λόγους ἦλθεν ὡς ἤδη φίλος.

fendendi causa conceptum, contextum autem Graecum edicti auctore Herode confectum publiceque propositum esse vero proximum videtur esse [60].

Posnaniae.

[60] Coniecturam, qua Carcopino l. l. p. 88—92, separatim etiam Barnes l. l. p. 398 titulum Caesaris cum facinore a Samaritis tempore pascharum a. p. Chr. 8 commisso, apud Flav. Ios. *Ant. Iud.* XVIII 29—30 narrato conectunt, etsi eam Cuq 1932 p. 122—125, L[agrange], Revue biblique XLI 1932 p. 457, Seston l. l. p. 208—212 comprobant, veram esse non posse inde apparet, quod maleficia Samaritarum, templum inquinatum ac pax publica turbata, sceleribus in titulo distinctis non continentur atque quod ullum ex his Samaritis illis stricte crimini tribui nequit. Quapropter coniecturam illam reicit Salomon Reinach apud Carcopino l. l. p. 91 [4] et Revue archéologique. V-e série, t. XXXIII 1931 p. 351.